Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25962
Copyright: Admont, Benediktinerstift



aperte intellegens quia nullo alio ordine nisi per eum qui descen
dit de celo. potest ascendere in celum. Vnde alias ipse dicit.
Nemo uenit ad patrem nisi per me. haec ideo nichodemo ideo
cunctis dicuntur caticuminis. ut discant eius membris re
nascendo recorporari. per quem possint ascendere in regnum
dei. Et quia ascensio uel ingressus regni fieri non potest absque
fide & sacramentis dominice passionis. recte subinfertur. Et
sicut moyses exaltauit serpentem in deserto. ita exaltari
oportet filium hominis. ut omnis qui credit in ipsum non
pereat. sed habeat uitam aeternam. Mira magisterii celestis
arte dominus magistrum legis mo_saice ad spiritalem legis
eiusdem sensum inducit. recordans hystorie ueteris. & hanc
in figuram sue passionis atque humane saluationis factam
edisserens. Narrat quippe liber numerorum. quia pertesus in
heremo populus israel itineris longi ac laboris murmura
uerit contra dominum & moysen. idoque dominus inmiserit in illum
ignitos serpentes. ad quorum plagas & mortes plurimorum
cum clamarent ad moysen. & ille oraret pro eis. iussit eum
dominus facere serpentem eneum. & ponere pro signo. qui percussus
inquit aspexerit eum uiuet. & ita factum est. Plage igitur serpen
tium ignitorum uenena sunt & incentiua uiciorum. que animam
quam tangunt spiritali morte perimunt. Et bene mur
murans contra dominum populus serpentium morsibus sternebatur.
ut ex ordine flagelli exterioris agnosceret. quantam
intus perniciem murmurando pateretur. Exaltatio autem ser
pentis enei quem dum percussi aspicerent sanabantur. passio
est nostri redemptoris in cruce. in cuius solum fide regnum mortis
& peccati superatur. Recte & enim per serpentes peccata que